

H 1856 6.
INSANIENTEM SAPIENTIAM
SYSTEMATIS LVCRETIANI
EXCVTIT

SIMVLQVE

DIEM NATALEM
C C I V
GYMNASII HALLENSIS
EVANG. LVTHER.

A. MDCCLXIX.

A. D. XXVIII. AVGVSTI HORA. II. POMER.

PUBLICIS DECLAMATIONIBVS
IN THEATRO GYMNASII ORATORIO

CELEBRANDVM DENVNCIAT

PATRONORVMQVE ET FAVTORVM
REI SCHOLASTICAE

BENEVOLVM CONSESSVM

PRECIBVS EXPETIT OFFICIOSISSIMIS

IOHANNES GOTTOFREDVS TAVST

GYMN. RECTOR.

HALLAE MAGDEBVRGICAE

PRODIIT EX OFFICINA TYPOGRAPHICA FR. AVG. GRVNERTH



Quotquot vnquam gentilis philosophiae placita religioni naturali fuere
infecta atque contraria, eorum sane omnium Systema Epicureum
longe fuit infestissimum planeque pessimum. Paucissima quidem
ejus ab auctore ipso profecta literarum monumenta ad nostram aera-
tem peruenere: LVCRETIVS tamen, CICERONI CAESARIQUE aetate con-
iunctus, poemate suo de *rerum natura*, libri tertii initio, profitetur de EPI-
CVRO ejusque philosophia:

*Te sequor, o Graecae gentis decus, inque tuis nunc
Fixa pedum pono pressis vestigia signis. etc.
Tu pater et rerum inuencor: tu patria nobis
Suppeditas praecepta, tuisque ex inclute charsis,
Floriferis ut apes in salibus omnia limant:
Omnia nos iidem depascimur aurea dicta:
Aurea perpetua semper dignissima vita.*

Qui cum eorum fere omnium, quos Philosophi *materialistas* appellare consue-
verunt, fuerit coryphaeus; quorum omne ingenii acumen, omnisque in eo
versatur labor, vt deo a tota rerum natura excluso, quicquid in regno naturali
moralique geritur, solius materiae viribus in solidum vindicent, ac *providentiam
diuinam animaeque immortalitatem*, solidissima illa totius religionis fulcra sub-
vertant eruantque: operae videtur pretium, ex *Lucretio* omnium *Epicuri* para-
logismorum religioni naturali repugnantium breue quoddam concinnare com-
pendium, Lucretiique verbis ostendere, quam male cohaerentia, quam arenosa
sint pestifera illa hujus familiae principia. CICERONIS quidem *VELLEIUS*
lib. I. de nat. Deor. c. 16 sq. *Epicurum* suum insigni hac maectat laude, quod
ille solus viderit primus, deos esse; quod in omnium animis natura ipsa quandam
de diis *περὸ λανθω* seu anteceptam informationem impresserit. Sed in fine ejusdem
libri *COTTA VELLEII* de *EPICURO* praedicationi *POSIDONII* de eodem
opponit iudicium: nullos esse deos *Epicuro* videri: quaeque is de diis immortali-
bus dixerit, inuidiae detestandae gratia dixisse: eumque re tollere, oratione relin-
quere deos; cum deum fingat nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, omni-
no nihil curantem, nihil agentem. Hoc vero *POSIDONII* iudicium ipsa *LVC-
CRETII* verba non obscure comprobant, quibus illam de diis communem ho-
minum anticipationem non tam impresso ab natura instinctui, quam potius
imaginationis erroneo tribuit lusui.

Lib. V. de rer. nat. v. 1168. seqq.

*Nunc quae causa deum per magna numina gentes
Peruolgarit, et ararum compleuerit urbeis,
Susceptandaque curauit sollemnia sacra: etc.
Non ita difficile est rationem reddere verbis,
Quippe etenim jam tum Diuum mortalia sacra
Egredius animo facies vigilante videbant,
Et magis in somnis mirando corporis aucta.*

His



*His igitur sensum tribuebant propterea, quod
Membra mouere videbantur, vocesque superbas
Mittere pro facie praecleara, et viribus amplis,
Aeternamque dabant vitam. — — —*

Ad lit: cum homines coeli, annorumque certas viderint vicissitudines, quarum ignorassent causas, imaginatione esse delusos:

*Ergo perfugium sibi habebant, omnia diuis
Tradere, et illorum nutu facere omnia secti.*

quam imaginariam anticipationem non obscure erroris arguit verbis sequentibus:

*O genus infelix humanum, talia diuis
Quom tribuit facta, atque iras adiunxit acerbas.*

Hae profecto sunt illae EPICURI de diis *anticipationes*, seu potius ex sensuum imaginationis errore enata *praecipua*, de quibus LUCRETIVS jam lib. I. v. 63. seqq. gloriatus est:

*Humana ante oculos cum foede vita jaceret,
In terris oppressa graui sub religione:
Quae caput e coeli regionibus ostendebat,
Horribili super aspectu mortalibus instans:
Primum grauis homo mortales rendere contra
Est oculos ausus, primusque obistere contra:
Quem nec fama deum, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compressit coelum. — — —
Quare religio pedibus subiecta vicissim
Obveritur: nos exaequat victoria coelo.*

Ex hoc pessimo principio omnia illa Lucretiani Epicuri dogmata originem traxere, quibus, inuidiae declinandae causa, naturam deorum splendidis celebrat verbis:

Lib. I. v. 57. seqq.

*Omnis enim per se diuum natura necesse est
Immortali aeuo summa cum pace fruatur,
Semoza a nostris rebus, seiunctaque longe,
Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.*

Sed quod altera manu diis suis dederat, altera tollit. Eminentissima enim diuinae naturae cum attributa tum opera negat.

Negat primo diis suis potentiae diuinae infinitam virtutem in orbe condendo,

Lib. II. v. 167. seqq.

*At quidam contra haec, ignari, materiai
Naturam non posse, Deum sine numine ventur
Tanroperere humanis rationibus, ac moderatis,
Tempora mutare annorum, frugesque creare: etc.
Ne genus occidat humanum, quorum omnia causa
Constituisse deos cum fingunt, omnibus rebus
Magnopere a vera lapsi ratione videntur.
Nam quamuis rerum ignorem primordia quae sint:*

A 2

Hoc



Hoc tamen ex ipsis coeli rationibus ausim
 Confirmare, aliisque ex rebus reddere multis,
 NEQVAQVAM NOBIS DIVINITVS ESSE CREATAM
 NATVRAM MVNDI.

Deinde omnes omnino vires facultatemque hujus vniuersi conservandi regendi-
 que numinibus suis otiosius detractas in ipsam naturam transfert:

Lib. II. v. 1090. seqq.

NATVRA VIDETVR

Libera continuo dominis priuata superbis,
 Ipsa sua PER SE SPONTE OMNIA DIS AGERE EXPERS,
 Nam pro sancta deum tranquilla pectora pace,
 Quae placitum degunt aeuum, vitamque serenam,
 Quis regere immensi flammam: quis habere profundi
 Indu manu validas poris est moderanter habenas?
 Quis pariter coelos omnes conuertere? et omnes
 Ignibus aethereis terras suffire feraces?
 Omnibus inque locis esse omni tempore praesto,
 Nubibus ut tenebras faciat, coelique serena
 Concuriat sonitu? tum fulmina mittat?

Denique diis suis in orbe nostro nullam concedit sedem, nullum habitaculum,
 fed eos plane ex hoc mundo proferibit, Lib. V. v. 147. sq.

Illud item non est, ut possis credere, sedes
 Esse deum sanctas in mundi partibus ullis. etc.

Haec sunt pestifera illa theologiae Epicureae principia, hae machinae, quibus
Lucretius vitam humanam foede jacentem, oppressamque a graui religione in
 libertatem vindicare, religionem ipsam vicissim pedibus subiectam obrerere, se-
 que, gigantum exemplo in fabula, victoria coelo exaequare, stolidissimoque co-
 natu omnem numinis metum, inuocationem cultumque ex mortalium mentibus
 profligare nititur. Hanc nefariam mentem, hunc sceleratissimum scopum SE-
 NECA de Beneficio — l. IV. c. 4. EPICURO false objicit his verbis: *Non
 dat Deus beneficia, sed securus negligensque nostri, auersus a mundo, aliud agit,
 aut, quae maxima Epicuro felicitas videtur, nihil agit, nec magis illum beneficia,
 quam injuria tangunt. Non exaudit precantium voces, et vndique sublatis in coe-
 lum manibus vota facientium priuata ac publica. Quod profecto non fieret, nec in
 hunc furorem omnes mortales consensissent, alloquendi furda numina, et inefficaces
 deos, nisi nosset illorum beneficia nunc vltro oblata, nunc orantibus data. Cul-
 tum vero inertium ejusmodi numinum epicureorum ineptum fictumque, ejus-
 dem libri c. XIX. his perstringit verbis: Tu, Epicure, deum inermem facis,
 omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam; ne cuiquam metuendus esset, proje-
 cisti extra metum, non exaudientem vota, nec nostri curiosum. Atqui hunc vis vide-
 ri colere, non aliter quam parentem, grato, ut opinor, animo: aut si non vis videri
 gratus, quia nullum habes illius beneficium, sed te atomi et istae tuae micrae forte ac
 remere conglobarunt, quid colis?*

Totum



Totum porro systema Epicuri morale cum principiis ejus physiologicis sit superstructum, brevitatis causa illud in compendium erit contrahendum ex vasto Lucretii poemate, ejus summa est: ex nihilo nihil fieri; ab aeterno itaque fuisse non nisi duo rerum omnium principia, *infinium vacuum seu inane, materiemque infinitam*, seu corpuscula prima, *atomos* scilicet, per infinitum illud vacuum dissipatas, solidasque, magnitudinae tantum, pondere et figura diversas; figura quidem aut laeves ac rotundas, aut asperas angulosasque, quae grauitate sua, in infinito vacuo, sempiterno motu ad lineam rectam deorsum ferantur: a qua tamen paullulum declinent, vt fortuito concursu cohaereant, atque asperiores angulosioresque constipentur atque coalescant, in qua concretionem moueri pergant. Pro diuersitate grauitatis ex leuioribus coelum et sidera emersisse; e grauioribus vero terram et corpora ipsi contigua subsidisse. Ex eadem porro commissione effecta esse rerum generabilium semina, quae initio ex terra folliculis quibusdam clausa prodierint, et illis ruptis animalia dederint. Pari ratione genus humanum suam traxisse originem. Ex quo manifestum est, secundum Epicuri hypothesis ab atomorum aeterno motu, grauitate sua linea recta descendentium, et ab ea tamen paullulum declinantium *concursum* illum *fortuitum* cohaesionemque deriuari, et ab his omnem corporum compositorum pendere procreationem. Id ipsum Lucretius proficitur l. II. v. 218. sqq.

*Illud in his quoque re rebus cognoscere auemus:
Corpora cum deorsum rectum per inane feruntur
Ponderibus propriis: incerto tempore firme
Incertisque locis, spatio secedere paullum.
Tantum quod momen mutatum dicere possis.
Quod nisi declinare solerent: omnia deorsum,
Imbris vti guttae, caderent per inane profundum:
Nec foret offensus natus, nec plaga creata
Principiis. Ea nil vnquam natura creasset.*

Haec vero hypothesis quam sit inepta, quam absurda, CICERO l. I. de fin. bon. c. 6. clare satis ita demonstrauit: *Censet Epicurus, indiuidua illa et solida corpora ferri suo deorsum pondere ad lineam: hunc naturalem esse omnium corporum motum.* Deinde homo acutus, cum illud occurreret; si omnia deorsum e regione ferrentur, et ad lineam, numquam fore, vt atomus altera alteram posset attingere: itaque atulit rem commentitiam: *declinare dixit atomum perpaullum: quo nihil posset fieri minus. Ita effici complexiones, et copulationes, et adhaesiones atomorum inter se: ex quo efficeretur mundus, omnesque partes mundi, quaeque in eo essent.* Quae cum res tota ficta sit pueriliter, tum ne efficit quidem quod vult: nam et ipsa declinatio ad libidinem fingitur, (ait enim declinare atomum sine causa: quo nihil turpius physico, quam fieri sine causa quidquam dicere) et illum motum naturalem omnium ponderum, vt ipse constituit, e regione inferiorem locum petentium, sine causa eripuit atomis; nec tamen id, cujus causa haec finxerat, as-





cutus est. Nam si omnes atomi declinabunt, nullae unquam cohaerescunt: siue aliae declinabunt, aliae suo nutu recte ferentur: primum erit hoc quasi provincias atomis dare, quae recte, quae oblique ferantur: deinde eadem illa atomorum turbulenta concursio hunc mundi ornatum efficere non poterit.

Ex portentosa hac physiologia principia Epicuri de animae humanae natura patent. Quippe cum totum animantium hominumque genus ab hoc fortuito atomorum concursu prognatum statuatur; nullumque praeter atomos et inane admitat rerum omnium elementum: necesse est, ipsum non corpora modo animata, sed animas ipsas ex atomis conflatas statuere; id quod aperte profiteatur Lucretius l. III. v. 178. seqq.

*Is tibi nunc animus quali sit corpore, et unde
Constitere, pergam rationem reddere dictis.
Principio esse ajo persubtilem, atque minutis
Perquam corporibus factum constare. Id ita esse
Hinc licet adueras animum, ut permiscere possis.
Nil adeo fieri celeri ratione viderur,
Quam si mens fieri proponit, et inchoat ipsa.
Ocyus ergo animus, quam res se perciet ulla,
Ante oculos quam in promtu natura viderur.
At quod mobile tantopere est, constare rotundis
Perquam seminibus debet, perquamque minutis,
Momine uti paruo possint impulsa moueri etc.*

v. 204. Nunc igitur quoniam est animi natura reperia

Mobilis egregie: PERQVAM CONSTARE NECESSE' ST
CORPORIBVS PARVIS; ET LAEVIQVIBVS, ATQVE ROTVNDIS,

Quin adeo accuratam instituisse videri vult animae anatomen, ut microscopiis, nescio quibus, viderit corpuscula illa animae quadruplici composita esse elementa, vento scilicet tenui, vapore, aëre et natura quadam nominis experte, qua nihil subtilius queat cogitari. Lucr. l. III. v. 232. fqq.

*Nec tamen haec simplex nobis natura putanda est
Tenuis enim quaedam moribundos deserit aura,
Mista vapore: vapor porro trahit aëra secum, etc.
Iam triplex animi est igitur natura reperia.
Nec tamen haec sat sunt ad sensum cuncta creandum, etc.
Quarta quoque his igitur quaedam natura necesse' est
Atribuat. ea est omnino nominis experte:
Qua neque mobilius quidquam neque tenuius extas;
Nec magis e paruis aut laetibus ex elementis,
Sensiferos motus quae didit prima per artus.*

Tum Lucretius miro quodam figmento Memmium suum edocere conatur, unde materialis animae perceptiones cogitationesque et ideae oriuntur; scilicet emanare perpetuo imagines et simulacra ex corporum superficie, ac tanta per auras volitare celeritate, quanta est radorum solarium. L. IV. v. 33. fq.

Nunc

Nunc agere incipiam tibi, quod vehementer ad has res
 Attinet, esse ea, quae rerum simulacra vocamus:
 Quae quasi membranae summo de corpore rerum
 Dereptae volitant vltro citroque per auras.

v. 190. Nascitur a solis confestim lumine lumen
 Et quasi prorelo stimularur fulgure fulgur:
 Qua propter simulacra pari ratione necesse est
 Immemorabile per spatium transcurrere posse
 Temporis in puncto.

Ab his tenuissimis celerrimisque simulacris animum ipsum moueri, id est cogitationes procreari concludit lib. eod. v. 721 sqq.

Nunc age, quae moueant animum res, accipe, et vnde
 Quae veniunt, veniant in mentem, percipe paucis,
 Principio hoc dico, rerum simulacra vagari
 Multa modis multis in cunctas undique partes
 Tenuia, quae facile inter se junguntur in auris
 Obuia cum veniunt. — — — —
 Corporis haec quoniam penetrant per rara: cunctaque
 Temnem animi naturam intus, sensumque lacessunt.

Quis vero mortalium omnium, quibus mens sana est in corpore sano, tam sagax est tamque lynceus, qui ex commentitia illa lucretianarum imaginum impressione in animae atomos tot animi nostri facultates, vim scilicet sui sibi conscientiam; facultatem, non corporeas modo ideas, sed tot abstractas percipiendi, dijudicandi, ratiocinandi, reminiscendique: nec non appetendi auerfandique: imo ex causarum longo nexu effectus quam remotissimos praevidendi: denique ipsum corpus organicum solo arbitrio suo mouendi, deriuare et ad oculum demonstrare possit? Is profecto intra animum suum totius generis humani sensum communem, ipsamque extinguat rationem, necesse est, qui in fortuito atomorum intra mentem et in hoc vniuerso concursu tot admirandos huius vniuersi rerumque moralium effectus cum Epicuri talpis palpare velit.

Pessimum denique Lucretius epicureum dogma multis argumentis conatur euincere, mortalitatem scilicet animae. Quae vero omnia cum a falsissima illa petitione principii pendeant, quod anima ex atomis sit composita atque materialis: hac vna destructa, reliqui paralogismi sua sponte ruunt. Sequentibus vero Lucretius argumentis ad stabiliendam animae mortalitatem Libro III. vitur.

I. v. 422. seqq.

Principio, quoniam tenuem constare minutis
 Corporibus docui, multoque minoribus esse
 Principiis factam, quam liquidus humor aquae est,
 Aut nebula, aut fumus. — — — —
 Nunc igitur quoniam quassaris undique vasis
 Distluere humorem, et laticem discedere cernis:
 Et nebula et fumus quoniam discedit in auras:
 Crede animam quoque diffundi, multoque perire
 Ocyus, ac citius dissolui corpora prima,
 Cum semel ex hominis membris ablata recessit.

II. v.



II. v. 446. lqq.

*Praeterea gigni pariter cum corpore, et una
Crescere scimus, pariterque senescere mentem, etc.
Ergo dissolui quoque conuenit omnem animai
Naturam, ceu fumus in altas aëris auras, etc.*

III. v. 460.

*Huc accedit, uti videamus, corpus ut ipsum
Suscipere immanes morbos, diuinique dolorem:
Sic animum curas acres, luctumque metumque.
Quare participem leti quoque cernimus esse.*

IV. v. 475. lqq.

*Denique cur hominem, cum vini vis penetravit
Acris, et in venas discessit ditius ardor,
Consequitur grauitas membrorum? praepediuntur
Crura vacillanti? tardescit lingua? madet mens?
Cur ea sunt, nisi quod uehemens violentia vini
Conturbare animam consuevit corpore in ipso?
At quaecumque queunt conturbari inque pediri,
Significant, paullo si durior insnuarit
Causa, fore ut pereant aëno priuata futuro.*

V. v. 486. lqq.

*Quin etiam vi morbi saepe coactus
Aure oculos alquis nostros, ceu fulminis ictu
Concidit, et spumas agit, ingemit, et tremunt artus: etc.
Tum surgit, redit in sensus, animamque receptas.
Mens igitur tantis ubi morbis corpore in ipso
Iactetur, miserisque modis distracta laboret:
Cur eandem credis sine corpore in aëre aperto
Cum validis ventis acietatem degere posse?*

VI. v. 525. lqq.

*Denique saepe hominem paulatim cernimus ire,
Et membratim vitalem deperdere sensum:
In pedibus digitos primum liuescere, et unguis,
Inde pedes et crura mori: post inde per artus
Ire alios trahim gelidi vestigia leti.
Scinditur atqui animae quoniam natura, nec uno
Tempore sincera existit, mortalis habenda est.*

VII. v. 547. lqq.

*Et quoniam mens est hominis pars una, locoque
Fixa manet certo, velut aures atque oculi sunt, etc.
Et veluti manus, atque oculus, naræque, scorsum
Secreta a nobis, nequeant sentire, neque esse:
Sic animus per se non quit sine corpore, et ipso
Esse homine, illius quasi quod vas esse videtur.*

Quod igitur

I. ineptissimam illam insulsissimamque principii Epicurei petitionem de anima materiali atinet, vnde Lucretius effecisse mortalitatem ejus sibi persuadet,



suadet, in primae materiae atomis nihil praeter extensionem, figuram, motumque ad lineam, iudice Lucretio, potest concipi. Quarum ex proprietatum indole cum ante atomorum concursum concretionemque, nihil excogitari nihil deduci possit, quod cogitet, percipiat, iudicet, ratiocinetur, meminerit, appetat et auerfetur: nihil sane horum atomi, post concursum suum concretionemque, sibi inuicem communicare, aut ex sese possunt elicere. Cum vero in corporibus nostris ex materia concretis aliquid sit, quod cogitet, percipiat, iudicet, ratiocinetur, appetat et auerfetur: efficitur inde, illud ab omni partium concreione materiaque plane esse sejunctum, simplex et insolubile, quod perpetuo percipiendi, iudicandi, ratiocinandi, reminiscendi, appetendi auerfandique instinctu inciteretur agiteturque, motusque corporis nostri voluntarios ex facultate viribusque naturae suae congenitis producat, quod animam vocamus rationalem. Quae licet pars sit animati hominis essentialis: a corporis tamen sui essentia longe est diuersissima. Hoc enim ex partibus compositum in primas suas partes seu elementa potest resolui, illa vero simplicissima in nulla elementa resolui potest. Vidit jamjam Cicero amentiam animae materialis, quam Quaeest. Tusc. l. I. c. 27. ita perfringit: *Animorum in terris nulla origo inueniri potest: nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur, nihil ne aut humidum quidem, aut stabile, aut igneum: his enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod praeterita teneat, et futura provideat, et completi possit praesentia: quae sola diuina sunt. nec inuenietur unquam, vnde ad hominem peruenire possint, nisi a deo. Singularis est igitur quaedam natura, atque vis animi, sejuncta ab his vsitatis notisque naturis. Ita quicquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, coeleste et diuinum est, ob eamque rem aeternum sit, necesse est. Nec vero deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concreione mortali, omnia sentiens et mouens, ipsaque praedita motu sempiterno.*

- II. Si ANIMA materiae expers est: cum materia corporis nec potest cre-
scere.
- III. Si materiae expers est: nec a corporis materialis morbis potest immi-
nui, aut plane deleri.
- IV. Si materiae expers est: vini vis sensuum quidem ministeria potest tur-
bare; animae vero immaterialis naturam neququam potest extinguere.
- V. Si materiae expers est: morbo e. g. comitali organa corporis quidem
possunt turbari, quo minus animae facultas ea more consueto possit re-
gere;



gere; nunquam vero morbus comitialis animae immaterialis facultatem plane deleuit.

VI. Si est immaterialis, nullisque constans partibus: nec ea per partes mori potest; licet corpus ex partibus compositum per partes mori queat.

VII. Si est immaterialis: pars ea quidem hominis viui est essentialis; sed a materiae corporeae concrecione quam longissime remota, simplex, diuersissimis a corporeis praedita facultatibus ac viribus, quae etiam sine corporis commercio perdurare possunt.

Iam vero animam materiae esse expertem, incompositam, simplicem, facultatibus essentialibus a materia diuersissimis constantem, est euictum: ergo nec materiae solutione solui potest, nec facultates ejus essentialia materiae per mortem dissolutione destrui possunt.

NON EPICURI solum aut LVCRETII vana materialismi fuit persuasio: sed eadem fuit, est, eritque omnibus temporibus eorum omnium, qui imperium naturalis religionis excutere, vitamque viuere cupiunt soli sensuum instinctui accommodatissimam. Excusso videlicet supremi arbitri iudicisque imperio, quid est, exceptis huiusmodi societatis vinculis, quod cupiditatibus humanis, quod sensuum illecebris, quod voluptatis perpetuo instinctui frena possit injicere? nonne ea lege sua vniuersali omnia sua regerit principia: *ede, bibe, lude: post mortem nulla voluptas?* Primi statim orbis cuncti mortales huic voluptatis imperio vnice parebant: cibi enim, potus ac matrimonii deliciis vnice intenti, omnem religionem tantopere pedibus proculcabant, vt vniuersalis ista aduersus rationis reuelationisque dictamen rebellio non nisi vniuersalis diluuii seuerissimo supplicio posset coerceri. Hi praesentis tantum vitae deliciis vnice intenti, ipso facto comprobarunt, se nullam animae statuere immortalitatem, sed ejus potius cum ipso corpore interitum. Nec SALOMONIS tempore defuisse videntur homines animae statuente mortalitatem, qui ECCLESIASTAE c. III. 18. sqq. ait: *Dixi ego in corde meo עֲלֵי דְבַרְתִּי בְּכִי אָדָם* secundum rationem (seu more) filiorum hominis (hominum profanorum) etc. eadem est hominis et bestiae conditio: vt haec moritur, sic et ille: eodemque spiritu praeditus est vterque, nec est, quod bestiae antecellat homo, quum sit vterque vanus. Vterque eundem locum petit: vterque ex humo ortus, vterque in humum reuertitur. etc. Itaque video, nihil esse bonum, nisi vt lactetur homo in suis operibus, nam hoc est, quod consequitur. De quo loco GLASSIUS in Philologia, p. m. 898. iudicat: *Ex qua phrasi, (scil. SECVNDVM RATIONEM FILIORVM HOMINIS) constat, ea, quae sequuntur, מִן הַחַיִּים esse, et loquentem induci hominem mundo adiectum, animae immortalitatem negantem et omnia euentis e. ternis iudicantem.* Quod vero ea principia non fuerint sententia ipsius

sius



sius SALOMONIS, patet ex ejus effato Cap. XII. v. I et 6: *memento creatio-
ris tui, etc. antequam redeat pulvis in terram, et spiritus ad deum, qui dedit
eum.* Habuit igitur EPICURVS insanientis suae sapientiae socios inde a mundi
initio, homines scilicet ante diluuium; tempore Salomonis inter Iudaeos, et
tempore Christi Sadducaeos; inter Graecos sectarios Epicuri; inter Romanos
Lucretium cum asecelis; recentiori aevo inter Christianos, Hobbesium quen-
dam atque inter Iudaeos Spinozam, multosque, qui, dum ingenia videri vo-
lunt fortia esse, in horum transeunt castra, qui cum Lucretio providentiam
diuinam animaeque negant immortalitatem, materiaeque soli omnia, quae in
toto geruntur orbe, vindicant, vnde *materialistarum* nacti sunt nomen.
Singuli quidem principiis inuicem differunt: omnes tamen in hypothese ineptis-
sima ejusque consecrariis conspirant. Nimirum diuersis quidem errorum
principiis salutiferae religionis hostes in partes eunt; sed in eadem demum hy-
pothese et ejus conspirant consecrariis: animam humanam esse materialem, ideo-
que cum ipso corpore interituram: nulla hinc post obitum virtutis speranda
praemia, nulla delictorum supplicia esse meruenda: summum itaque hominis
esse bonum, praesentis vitae expleri deliciis. Quae principia rationis dictantini
sensuique communi quam maxime contraria, quo magis ingenii sui argutiis
fucare et exornare possunt, eo magis iudicii valere acumine, et cum Lucretio
coelum ipsum expugnare posse sibi videntur. Hinc se solos sapere; genuinos
vero religionis cultores velut umbras volitare existimant, hos jocis fugillant,
ironiis insectantur, falseque rident; quibus artibus simplicium parumque per-
spicacium hebeti ingenio fucum faciunt, et cum Lucretio triumphum canunt
ante victoriam. Veneranda igitur est diuinæ providentiæ clementia mente
gratissima, quae quouis tempore viros ex philosophorum, theologorum ipso-
rumque poetarum ordine singulari mentis acumine armavit, quo insanientis
sapientiae, ac malefanae voluptatis insensissima perfregerunt arma, errorum-
que pestilentium discussere nebulas. Nec minus precibus ardentissimis eadem
exoranda est diuina providentia, vt verae religionis sapientiaeque sanioris officina
clementissime tueatur et conseruet. Hoc solemni officio Gymnasium no-
strum crastino ducentesimo quarto natali suo piis precibus sacrisque hymnis ho-
ra defungetur matutina: hora vero a meridie secunda, consueto literatae ju-
uentutis actu oratorio, in auditorio majore hujus diei testatorem reddet me-
moriæ. Sequentes vero oratores palaestram conscendent oratoriam:

IOH. HENR. *Oedeke*, Hallensis, *virum magnanimum in disceri-
mine versantem* describet oratione germanica.

MICH. GOTTL. SAM. *Kalisch*, Anhaltinus, *Poliniaci An-
tilucretium commendabit* idioma germanico.





CHRISTIAN. FRID. Daniel, Hallensis, *mortem Henrici M. Gallorum regis deplorabit germanice.*

THEODOR. CHRISTIAN. Zegke, Mesomarchicus (Damon)

IOH. FRID. Pfeiffer, Hallensis, (Aristus)

VICTOR AVGVST Zuchs, Hallens. (Eduardus)

FRANCISC. IOACHIM. Dreyßig, Hallens. (Hamilton) *providentiam diuinam circa amicitias sistens fictione germanica.*

AVGVST. GODOFR. Litzmann, Hallens. *Scientiarum elogium ad Cic. pro Arch. c. 7. percurret germanice.*

IOH. EHRENF. Wilske, Mansfeldicus, *diem mortis luce natali esse praestantorem, docebit germanice.*

IO. AVGVST. Rahn, Hallensis, *Scipionis Africani jun. laudes dicet carmine heroico vernaculo*

IOH. AVG. Uhlig, Hallensis (Wassermann)

FRID. DANIEL Franke, Hall. (Laelius)

IOH. CHRISTIAN. Jüngken, Palaeomarchicus (Valerius)

IOH. CAROL. AVG. Bartels, Hall. (Cleanthes) et

IOH. AVG. Schäfer, Hall. (Dunkel) *Poetarum ineptias ob oculos ponent colloquio germanico.*

IOH. FRIDER. Jüngken, Palaeomarchicus, *pium doctorem die extremo in vitam redeuntem pinget oda sapphica vernacula.*

GABRIEL. WILHELM. GOTTLIEB. Zeserstein, Magdeburgicus, *quam dulce sit praeterita recordari tempora, ostendet gallice.*

IOH. AVGVST. Jani, Magdeburgicus, *sapientem quatuor annis horarum vicissitudinem admirabitur oda germanica, simulque totius Gymnasii nomine debitas beneuolis auditoribus gratias agat.*

Cui festiuo musarum nostrarum diei ut amplissimi Gymnasii PATRONI, generosique FAVTORES praesentia sua, hora pomeridiana secunda, in auditorio majore, decus et ornamentum concilient insigne, summa cum gratae mentis obseruantia rogantur, obsecrantur.

P. P. in Gymnasio die 27. Augusti, MDCCLXIX.

10078

H 1856 6.

INSANIENTEM SAPIENTIAM
SYSTEMATIS LVCRETIANI
EXCVTIT

SIMVLQVE

DIEM NATALEM
C C I V

GYMNASII HALLENSIS

THER.

X.

RA. II. POMER.

MATIONIBVS

SII ORATORIO

VNCIAT

ET FAVORVM

STICAE

SESSVM

IGIOSISSIMIS

REDVS TAVST

R.

VRGICAE

FR. AVG. GRVNERTH

